

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## CXLIII.

*S. Clarissime vir, Domine & patrone observande.*

**E**tiam si subdubitabam, de tabellarii ad vos adventu, tamen cum se in patriam nostram iturum promitteret, breve ei ad te epistolion dare volui, sive id cito, sive etiam tardius tibi offerretur. Adjunxi etiam Hodœporicon meorum itinerum, in quo tui etiam, honoris causa, mentionem feci, sed id breviter, prout temporis angustia tum ferebat. Tu meas hasce ineptias boni consules, & me esse scias eum, qui beneficiorum tuorum memoriam conservet sempiternam, & te studiosè revereatur & colat. In his locis mediocris est tranquillitas. Collegium nostrum, superioribus tumultibus pene incendio absumptum, splendide instauratur, & Professores satis idonei & multi juventutem docent. Causæ Rostochiensium tractatio hoc tempore apud Imperatorem suscipitur. Eò aliqui ex Senatoribus & civibus nostris sunt profecti. Ipse etiam D. Joh. Albertus eo abiisse creditur. Munitio urbi adjuncta, adhuc integra est, & milites in ea præfident. Bellum Danicum nondum est compositum, etiam si tractationes de pace sæpe à legatis Imperatoris sint inchoatæ. Plura occupatissimo scribere non debeo. Bene cum conjugè & tota familia vale & omnes tuos saluta. Rostochii, Cal. Maji, Anno 1568.

Nathan Chytræus.

*Inscriptio:*

*Viro pietate, sapientia & eloquentia clarissimo, D. Johanne  
Marbachio Theologo præstantissimo, Domino & patrono ob-  
servando.*

## CXLIV.

*Salutem in Christo Jesu. Reverende & Clarissime Vir,  
in Domino honorande & charissime frater.*

**L**iteras tuas mihi exhibuit Ornatissimus vir, idemque frater charissimus, L. M. Florus, Collega vester conjunctissimus, quæ me plurimum perturbaverunt. Etenim ante paucos menses ex Amberga alias quoque accepi, quæ longè aliud de Wittebergenfibus pollicebantur, quam acta per te transmissa docent. Ideoque non sine causa doleo, tandem erumpere, quod tanto studio celarunt hæctenus, malum. Sed quid agamus? D. Brentius & ego devotè  
ravimus,

LI 3

ravimus, sicut novisti, scriptum ipsorum, ne calumnias adversariorum & clamores Zvinglianorum auferemus. Sed videtur, nostro hoc silentio causam non reddi meliorem & in errore confirmatos permanere. Magistri exemplum secuti, cujus autoritas in hac re Ecclesie DEI plurimum nocuit. Fortassis dignus est mundus, & Saxonum arrogantia, tam horribili doctorum lapsu, qui pro Evangelio Christi sunt ingratiissimi, arrogantes, inflari, & dissolutissimi, in quibus præter professionem Evangelii vix aliquid Evangelicum videre licet. Causa non est nostra, sed Filii DEI, quam etiam tuebitur sine Wittebergensium opera, à quibus hætenus in hac controversia turpissime deserti fuimus. Quam fortes fuerint contra Papatum, tempore INTERIM, novimus. Nunc etiam filium DEI detestari incipiunt. Subsistamus parumper, Dominus faciet, ut confusis ipsis, veritas emergat. Cæterum quod ad Illyricum attinet, nescio profectò, quid consulere debeam. Et quæ est vestra singularis pietas & prudentia, facile ex conversatione longæva didicistis, an hominis ingenium Republicæ & Ecclesie vestræ respondeat. Pax & tranquillitas beneficio DEI in Academia & Ecclesia vestra constituta, ut in nostris, ita & vestris oculis sit Sacrosancta semper, nec committatis, ut incerta spes precio ematur. Innovationibus, aut non necessariis certaminibus ne quæso locum detis, nec patiamini lites Saxonicas de rebus Adiaphoris, de Synergia & bonorum operum necessitate in Ecclesiam & Scholam vestram attrahi. Non enim est finis horum certaminum, quæ possent piè sopiri. Utinam bellum Sacramentarium eodem modo comparatum esset, tum enim facile viam inveniremus, qua piè componeretur, sed *dis* *dis* *parum* dissidemus. Ac periculum est, ne Christum ipsum amittant Ecclesie nostræ, si Cinglianorum & Wittebergensium impietati locum demus. Ego certe in gratiam ipsorum ne canem quidem expellerem, tantum abest, ut virum eruditum ejiciamus, qui exul est Christi: modo quietus sit, & Academia vestra aut Ecclesia non perturbetur. Hospitii laude insignis est Respublica, quæ facile devorare potest aliquid, si videat pietatis officium necessarium. Ego, ut vides, pro vobis sollicitus sum, & Ecclesia vestra, sicut M. Florus explicabit paulo copiosius. Cum quo non licuit plura conferre. Toto enim tri-duo absui, quo ille nobiscum fuit Tubingæ, & hodie me partim negotia publica abstraxerunt ab ipsius colloquio, partim inhirmitas, & nunc me in lectum confero, ut satisfaciam morbo familiari, Erysipelati, qui me Eßlingæ in tua præsentia corripuit & fortassis etiam conficiet, si ita Domino videbitur. Quapropter temporis brevitati dabis veniam. De hoc negotio etiam cum D. Brentio conferam, & ad Te diligenter perscribam. Bene & feliciter vale. Tubingæ 3. Maji, hora 5. ante cœnam anno 68. Collegæ mei omnes reverenter te resalutare jusserunt. Tu quæso meo nomine omnes Collegas tuos  
 & Do-

A. 1568.

PARS TERTIA.

271

& Dominos Senatorii ordinis, imprimis Dominum à Mülheim, similiter quoque Rectorem & Professores, reverenter salutabis. Iterum in Domino JESU vale. Uxorem Tuam honestissimam uxor mea cum familia cordialiter refalutare jussit.

Tuus ex animo, ut semper, frater

Jacobus Andreæ.



CXLV.

Reverende & Clarissime Domine Superintendens,  
Præceptor & Patrone colende.

IN hoc exilio, quod fato quodam mihi in litore maris Baltici, ut Ovidio olim ad Pontum Euxinum peragendum est, ad ceteras molestias, hæc quoque accidit, quod rarius facultas tecum per literas colloquendi datur: præsertim cum præsentis dogmatum controversiæ multiplices & obscuræ, assiduam collationem cum piis eruditis & candidis viris, qualem te esse unum ex paucissimis scio, requirant. Gratias autem tibi publico nomine immortales debere fateor, quod amplissimæ doctrinæ de unione personali duarum naturarum & Majestatis Hominis Christi, multis difficillimarum quæstionum labyrinthis intricatæ explanationem adeo piam, perspicuam, copiosam, & testimoniis Ecclesiæ ex omni antiquitate repetitis confirmatum edidisti. De qua judicium præcipuorum in his Ecclesiis, quæ depositum doctrinæ à Luthero acceptæ fideliter custodiunt, docentium, ex adjunctis literis cognosces. Inquisivi & ipse mediocri studio superioribus annis, Testimonia scripturæ, & veteris Ecclesiæ consensum, de præsentia Christi in Ecclesiis, & sacra cœna, & diversis generibus ac modis κοινωνίας ἰδιωματων, & ceteris materiis, quæ in hac quæstione miscentur, ut meam mentem ambigentem firmis testimoniis confirmarem. Ac Cyrilli imprimis dicta, cum nostra confessione congruentia, multa & valde illustria me delectabant. Postea Theodoretum Refutationes anathematismorum, & dialogos legens, & Augustini ac aliorum sententias dissimiles considerans, comperi de tota hac controversia verum esse, quod de generali παντεχοριου corporis Christi, quidam nobis ὁμολογεῖ inquit: Antiquitatis Testimonia non satis de ea consentire. Imo plurima Parrum dicta speciose ad ἁεροραφην corporis Christi unico tantum loco comprehensi, & Symbolicam seu Typicam illius in cœna præsentiam, & spiritualem solummodo κοινωνίαν accommodari: sicut & Hilarianum illud, locis communibus insertum: Hæc sumpta & hausta efficiunt, ut Christus in nobis sit, & nos in ipso: tantum ad fidelium mandu-